

universalem majorem. Idem itaq; dicet verum, & non dicet verum, quod est impossibile.

§ 7. Ex primo principio elici possunt sequentes assertiones: *Quod impossibile sit duas contradictorias simul esse veras; ἐστὶ γὰρ ἀντίφασις κατὰ φασιν καὶ ἀπὸ φασιν αἱ ἀντικείμεναι.* lib. de Int. c. 6 § 4. *Quod necessum sit alteram contradictionis partem esse falsam; ex altero sequentes: Quod impossibile sit duas contradictorias simul esse falsas, quod necessum sit alteram contradictionis partem esse veram, quod in contradictoriis si negationem sit vera, affirmatio vera sit futura, quodq; si affirmatio non sit vera, necessum sit negationem esse veram,* quæ ex definitione veri & falsi probari etiam possunt, Vid. lib. 4. Met. c. 8. & lib. 2. pr. c. 11. §. 29. *Quod si dicatur: Necessum est, ut altera pars contradictionis sit vera, & altera sit falsa, juxta explicationem tamen datam lib. de Inter p. c. 9. utrumq; principium vel quod sequitur ex utroq; conjungatur.*

PROBLEMA SECUNDUM.

Principiorum primorum Axiomaticorum usum monstrare.

§. 1. Duplicem esse Syllogismum, sive Demonstrationem constat; Ostensivam, & ducentem ad incommodum seu Impossibile: Ita quidem ut *quicquid ostensivè concluditur, illud etiam per Impossibile probari possit, & quod per deductionem ad impossibile probatur, illud etiam ostensivè adstrui queat, & quidem per eosdem terminos.* lib. 1. pr. c. 29. §. 1. lib. 2. Prior c. 14. §. 3.

§. 2. Demonstratio Ostensiva est, quando propositio probanda fit conclusio Syllogismi, ut: si velim probare, quod omnis homo sit risibilis, & probem id hoc modo: Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. E. Omnis homo est risibilis.
Demon-